Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35889
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tici. In inuentione sancti Stephani pro censu iure perpetuo delegaui cum sex caseis quorum quilibet duos denarios ualebit. Qui tribus anni temporibus ab omnibus sibi inuicem in eodem molendino succedentibus tam dictis fratribus persoluentur. Et hoc ideo quia predicti fratres in aqueductu ad prefatum molendinum qui ad eos specialiter pertinet paruissimam que vulgo dicitur wurslage libere concesserunt. Ne igitur super hac conditione aliqua imposterum oriatur calumpnia presentem litteram conscribi et sigilli mei feci munimine roborari nominibus testium subnotatis. Albero de Chvnring pincerna Austrie. Hadmarus de Sunnberch. Rapoto de Schonberch. Ortlibus de Winchel. Hainricus de Rassenlo. Chalhohus de Gnannendorf et alii quam plures. Actum et Datum in Wolfgerstorf. Anno domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Primo kal. Junii.

Notandum quod quidam miles dictus Meuran redditus lx denariorum in Malehainstorf a dominis de Liehtenek nostro monasterio conquisiuit. litteramque infeodationis unius lanei in predicta villa nostro monasterio resignauit. quando ius proprietatis eiusdem lanei a domino Chvnrado seniore de Liehtenekk impetrauit. Processu vero temporis filii eiusdem domini Chvnradi de Liehtenek predictam donationem per suam specialem litteram temporibus domini Ebronis Abbatis cum proprietate eiusdem lanei in Malahainstorf in melius confirmauerunt. Unde et hic litteram infeodationis primo describimus litteramque proprietatis continuo subiungentes.

Acta presentium subito labentur si non scripti memoria aut testium robore firmarentur. Igitur Ego Chvnradus de Liehtenekk notum facio tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis quod Muramus miles ad me veniens in Kvsspach petiit studiose quod cum feodum in Malhainstorf quo a me erat infeodatus uxori sue Elyzabet pro donatione propter nuptias in decem libris denariorum obligasset huic obligationi meam addere voluntatem. ut eo sublato de medio si idem feodum a dicta domina pro decem libris infra anni spacium non redimeretur ipsa et heredes eius a me iure feodali in posterum retineret. cuius petitioni ob suorum seruiciorum requisitionem fidelium annuens. eandem obligationem ratam habens confirmo presentium per tenorem taliter sicut antea est subiectum. quod si dicto Muramo sublato de medio. Ego Chvnradus de Liechtenek nominate Elyzabeth ac heredibus eius decem libras denariorum infra anni spacium non persoluerim dicta Elyzabeth et heredes eius a me nominatum feodum iure feodali possideant amplius libere et quiete. Et ne de hoc possit oriri ambiguitas aliqualis. iussi presentem litteram testium subscriptorum nominibus ac mei sigilli munimine roborari. Testes autem sunt hii. Ortolfus miles de Chirchpech et fratres sui Otto et Albero. Dietmarus et Pechtoldus et Chvnradus milites de Hadmarstorf. Katulus miles dictus Chriechpavm et frater eius Chvnradus. Otto Toplarius miles de Hierzpach et Hainricus frater eius. Hainricus miles de Entzestorf et filius ipsius Dietmarus et Fridericus. Actum Anno domini M. CC. lxxx. xvii kal. Aprilis.

Nos Chvnradus et Otto fratres dicti de Liehtenekke coram vniuersis tam futuris quam presentibus profitemur quod nos unanimi consensu collationem beneficii unius quod situm est in Maleinstorf quam Moranus miles de Potendorf sibi a patre nostro bone memorie feodali iure factam asserit idem quod ius suum Chvnrado de Levbendorf vendidit, cuius beneficii proprietatem monasterio